



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Severvs. C. 15. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

manus dedit. Non incruenta tamen victoria SIGEFRIDO fuit. Cæsi tres nepotes, mœrore temperarunt triumphum. Cæterum dum ponè stagnum obambulat, tergeminum lumen videt; hoc indice urnam; in urnâ capita tergemina. Hîc vero vindictam clamanti SIGEFRIDO, *vindicabit*, è capitibus unum respondit. Mox altero *quando nam?* roganti, tertium caput, *in filios filiorum*, subjicit. His aliisq; prodigiis illustris SIGEFRIDVS tumulum accepit in templo, quod Vexione Angelorû jussu exædificarat. Nunc inter Anglos Angelosq; quàm rarum commercium? quàm magnum, ô Magne Gregori, discrimen? *Ex Vit. Aquilon. Ioan. Vastiv. vit.*

*Gemina dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini IESV, longanimitas videlicet in expectando. Et in denando facilitas: ad hoc autem diu suspendit sententiam ultionis à contemnente, ut quandoque gratiam remissionis præstet in pœnitente.* S. Bern. ser. 9. sup. Cant.

S. SEVERVS. C. 15. Februarij.

**E**St quod in Sacerdote SEVERO speculentur ii, non animarum, sed rem suam qui curant Sacram ædem, & in hâc, ne Marianum fuisse dubites VIRGINIS aram curabat SEVERVS, vitæ integritate, & miraculis multum illustris. Fortè putandis vitibus insistebat, cum supervenit, qui ægrum, nescio quem, opem afflagitare ultimâ nuntiat, cæterum sacris munitum non adhorrere ab ultimâ luctâ Respondet SEVERVS, & affuturum se illico spondet. Vt tamen operi finem imponat (perpauxillum supererat) moram aliquantulam facit. Indè celeri gressu dum ad moriturum contendit, ecce mortuum audit. Hîc enim verò palam SEVERVS se incusare, veniam suam ut curaret

ret, Domini vineam neglexisse, morte crudelior  
rem se fuisse: illam corpus peremisse, sese animi  
latronem esse. Igitur funeri affusus non prius à  
precibus lacrimisque, quam à morte defunctus  
surrexit. Et narravit hic jam se ad ignea & tene-  
bris infesta loca abductum poenas ultimas daturum  
fuisse, nisi Ephebus intercessisset candore insignis,  
lacrimisque donatum SEVERI tantisper nuntias-  
set, dum noxas animi expiaret. Expiavit igitur  
has, & septimo post die feliciter obiit. Quid hinc  
illi, quos morituri non è vinea, sed vini tabernâ  
vocant, & sæpè heu! frustra vocant, qui tamen ab  
inferis revocare animos non possunt, sequi possunt?  
*Ex Dialog. S. Greg. l. I. c. 12.*

*Totus mundus ad unius anime pretium aestima-  
ri non potest; non enim pro toto mundo Deus animam  
suam dare voluit, quam pro anima humana dedit:  
sublimius est ergo anima pretium, quæ non nisi san-  
guine Christi redimi potuit. S. Bern. l. Med.*

B. NICEPHORVS MART. 16. Februarij.

**N**ICEPHORVM Martyrem dicimus. Si iræ non  
cedis, Lector, martyrem alterum te dicimus.  
Fuit NICEPHORO familiaritas cum Saprithio Sa-  
cerdote à teneris contracta. Ea cum pueris cres-  
cere, adolescere cum adolescentibus visa, demum  
præter spem omnium in fatale odium vertit. NI-  
CEPHORVS quodd minus fellis animo gerebat, &  
majestati Sacerdotum oppidò faveret, de resar-  
ciendâ amicitia cogitare, ea que super re per in-  
ternuntios agere. Sed aures Saprithii ira obsessas  
tenebat. Interea gravis in Christianos tempestas  
Antiochiæ exorta turbine suo etiam Saprithium  
involuit. Nihil tamen in tormentis, aut dixit, aut  
feci.